

401795 *Ex.*

II

32: 1877

Kat. komp.

XXXII
P R O G R A M M
des
Königlichen Gymnasiums
zu
OSTROWO
Michaelis 1877.

I N H A L T.

1. Qua de causa factum sit, ut Cicero a nonnullis aequalibus suis „Γραικός καὶ σχολαστικός“ nominaretur? vom Oberlehrer Dr. Klee.
2. Schulnachrichten vom Direktor.

1877 Progr. Nr. 124.

OSTROWO.
Theodor Hoffmanns Buchdruckerei.

XXXX

MMAR

401795

II 32:1877



Biblioteka Jagiellońska



1002549378

Qua de causa factum sit, ut Cicero a nonnullis aequalibus suis

„Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς“

nominaretur?

(Plutarch. Cicero cap V, 10 — 12).

Ut potero, explicabo ea, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dicero, sed ut homunculus unus, e multis probabilia conjectura sequens.

(Cicero Disp. Tusc. lib. I, cap 2, 17).

In selectis brevibusque Epicuri, philosophi Gargettii, quae appellabantur „κίρια δόξα“ sententiis haec primaria posita: „Τὸ μακάριον καὶ ἀφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῃ παρέχει, ὥστε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται. Ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον.“*) Cujus rei tam gravis tamque arduae facultatem haud pauci viri post hominum memoriam etsi prae se ferebant secutos, tamen consecutos esse non profitebantur, quum et fortunae invisa injuria et conspiratione hominum noxia ita multae detestabiles pestes in vita existerent, ut nec vitare venientes, nec ferre praesentes possent. Quum enim Ἄτη, quae dicitur, mundum tristi discidio implicasset et passim bella, seditiones ceteraque generis ejusdem multa monstra sevisset, turbae Agamemnoneae, quae Priami regis moenia circumdederunt, in perniciosas inciderunt clades, Cecropidae extincti, potentissima regna, quae invicti reges Macedonum pepererunt, eversa. Miserius autem hac stultitia quid possumus dicere? Iam vero quam inconculte et temere dixerunt feceruntque, qui eos viros, qui vulgi opiniones, quae in maxima inconstantia veritatis versabantur ignorance, tollebant, contemptui ac despicatui habebant? Ob eas res invidiae multitudinis, atque ob eas bene meritorum saepe civium expulsionem, calamitates, fugae. Quamquam justam venerationem habet, quidquid excellit, et ira invidiaque segreganda sunt a praestanti natura, tamen Athenienses odia, discidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, vincula in medium protulerunt, nec potuerunt non Socratem, sanctum philosophum, qui usque inculpsit in mentibus civium, ut Apollinis illud „Γνώθι σαυτόν!“ sequerentur, accusare accusatumque capitis condemnare. Nam inter omnes constat urere fulgore suo, qui praegravet artes infra

*) Diog. Laert. X, 139.

se positas. Licet Thucydides, rerum scriptor, summa ope defendat populares suos, quod numquam justitiae sancta penetralia adierint, tamen cum scriptore quodam Romano exclamamus, quod maximas virtutes publica levitate ac dementia injuriis rependerunt: „Tacent mutae illorum umbrae, fati necessitate constrectae; at immemores beneficiorum Athenas omnis lingua, sermone licenti in reprehensionem soluta, non tacet“^{*)}. Sed magnopere dolendum est ea temeritatis crudelitatisque exempla, nata et frequentata apud Athenienses, etiam in gravissimam civitatem Romanorum redundavisse, ut dies deficeret enumerantem ingratos usque in ultima patriae exitia. Quodsi apud Athenienses, homines Graecos, non deerant, qui, praestantes viri virtutis et sapientis gloria, bene de civitatibus mererentur, quum omnes, qui ita fecerant, e civitate eicerentur, si Themistoclem, conservatorem illum patriae, non deterruit a re publica defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paulo ante servarat, nec Aristidis fuga, quo totius Graeciae justitia censebatur, si postea summi ejusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiae levitatisque popularis, tamen suam illam rem publicam defenderunt, non est, cur miremur, quod etiam apud Romanos omnia referta sunt exemplis talium virorum, qui, aliquam similitudinem Curii, Fabricii, Catonis, Laelii postquam arripuerunt, non eam fama populari, sed vera bonorum laude metientes, fidenti animo virtutibus suis obtrectari passi sunt, memores illius dicti, quod est apud Platonem: „*Ἀλλὰ κακῆτιο δεῖ σε ἐνθυμίσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν ἀλλὰ τῆς γενήσεως ἡμῶν τὸ μὲν τι ἢ πατρὶς μερίζεται, τὸ δὲ οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι*“^{**)}. Idemque officium Cicero inculcabat popularibus suis, adhortatus homines non solum sibi natos esse, sed ortus partem patriam vindicare, partem amicos. Simile quiddam evenit ei, qui, quum ei liceret otioso esse, ut licebat Themistocli, licebat Epaminondae, non solum ad legendos libros, sed etiam ad philosophiam totam pertractandam se dabat, ratus inhaerere in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum, quae esset res vetus et consecrata religione omnium. Sed quum non is esset, cujus animus vagaretur errore, neque haberet umquam, quid sequeretur, animum induxit studio sapientiae discendi causa multum temporis tribuere et ea litteris mandare, quae neque erant satis nota popularibus suis, et erant cognitione dignissima. Quamquam non solum ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitabat, fieri non poterat, quin quibusdam bonis viris philosophiae nomen fieret invisum, mirarenturque eum in ea tantum operae et temporis ponere. Sic statuens, ejus studium qui vituperaret, haud sane se intellegere, quidnam esset, quod laudandum putaret, omnes suas curas cogitationesque in id conferebat, quo neque optabilius, nec melius homini, neque homine dignius esse poterat quidquam, quo continebatur scientia rerum divinarum et humanarum cognitioque, quae cujusque rei causa esset. E quo fiebat, ut divina imitaretur, humana omnia inferiora virtute duceret. Sed quum, quo facilius omnes ejus partes atque omnia membra noscerentur, decrevisset totas quaestiones scribendo explicare, quae aliae ex aliis nexae et omnes inter se colligatae viderentur, a nonnullis aequalibus suis in invidiam vocatus, ut „*Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς*“^{*)} irrisus est, qui tamen veri rependi causa efficere voluit, ut aliquid haberet, quo oblectatio animi et requies curarum compararetur, constantia virtusque efficeretur, denique quo tota sapientis vita regeretur, semper anquirentis aliquid, quod spectaret et valeret ad bene beateque vivendum. Non igitur sine injuria illud imprimis ei dolendum fuit, quod nihil esset tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga se sensusque

*) Valer. Max. V, 3. Ext.

**) Epist. IX., 358 A.

civium, qui non modo improbitati irascerentur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidirent. Adde, quod ipse se respexisse visus est, quum litteris designavit dictum illud, quod nulla umquam obscurabit oblivio, miseros interdum esse optime de re publica meritos, in quibus homines non modo res praeclaras obliviscerentur, sed etiam nefarias suspicarentur. Quo facilius eae, quas dixi, denominationes explicantur, sic agam, ut rationes afferam, quibus adducti adversarii ejus philosophum Romanum ita compellaverint, affingentes vicina virtutibus vitia, premendoque superiorem, quae pessima ars, quamvis nimiis conatis nonnullorum aequalium, nihil eum obscuravit, tamen incrementis antiquissimae et nobilissimae philosophiae non nocuerint, aut obfuerint, ut ad illa finitima istis praeclaris, quae auctores pepererunt, homines suos cohortaretur. Ac primum quidem exponam, quid voces Graecae: „Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς“ sibi velint, deinde ea docebo, quae Cicero studiis suis philosophicis ad mores Romanorum limandos emendandosque contulit, tum mihi demonstrandum erit, cur duri agrestesque Romani ea studia rejecerint atque aspernati sint, denique explanabo, quid superbi insolentesque illi homines spectaverint. Quod primum, quantum cognovi, eum locum ad tractandum haud facilem attingere ausus sum, quidquid in me fuit studii, consilii, laboris, id omne me ad eam rem conficiendam adhibendum esse putavi, ut, si non perfectum ingenio, tamen elaboratum industria afferrem; tantumque afuit, ut aliquam mihi bonam gratiam ea re quaesivisse viderer, ut meus labor, multum diuque in veterum scriptis versatus, testis esset me tempus omne meum et discipulorum exercitationi et meo ipsius commodo transmississe. Non potui non confiteri me maximo gaudio cumulatum esse, quod mihi causa talis scribendi oblata est, in qua oratio deesse nemini posset. Ita mihi non tam copia, quam modus in scribendo quaesitus est.

Plutarchus Chaeroneensis, ut inde oratio mea proficiscatur, qui „Βίους παραλλήλους“ „Δημοσθένους καὶ Κικέρων“ conscripsit, in Ciceronis vita fere haec de oratore Romano principe rettulit, quae facilius intellectus causa cum nonnullis Ciceronis dictis connectenda videbantur: Cicero, quum anno a. Ch. n. undeoctogesimo Athenas profectus esset, Antiochum Ascalonitam audivit, vinctus facili ejus orationis fluxu et gratia, non tamen comprobans, quaecunque in placitis renovabat. Nam Antiochus non jam in illa Academia nova remanserat, cujus auctor Arcesilas e variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuerat nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi posset, et aspernatus erat omne animi sensusque iudicium, et familiae Carneadis, qui, quartus ab Arcesila, ratione sua confirmata contra omnia disserendi nullamque rem aperte judicandi homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem excitabat, normas et principia dereliquit, aut quod ad ea, quae visa et quasi accepta sunt sensibus, ad sensationem adjunxit, aut quod, ambitione quadam et dissensione Clitomachi Carthaginensis et Philonis Larissaei auditorum commotus, imprimis Stoicos sequebatur. Cicero autem, quum doctrinae Academiae novae patrocinaretur ejusque praecepta adamavisset, consilium cepit, si sibi rem publicam capessere non liceret, vitam a foro et rebus publicis remotam Athenis transigere, i. e. quiete studio sapientiae operam dare. Sed anno insequenti, nuntiato Sullam defunctum, corpore exercitationibus gymnasticis corroborato, procedente ad habitum juvenilem, sensim paulatimque conformata voce, quum auribus jucundum eundemque magnum sonum accepisset et instructa esset ab apta ratione totius figurae, multum ab amicis Romae precibus defatigatus et ab Antiocho ipso exoratus, ut iterum vacaret negotiis publicis, denuo exercebat vim eloquentiae tamquam necessarium instrumentum et resuscitabat omnem civilem facultatem, summis contentionibus se exercens declamitando et celeberrimis rhetoribus usus. Quocirca in Asiam et Rhodum itinere facto, ad Xenoclem Adramyttenum, Dio-

nysium Magnetem, Menippum Stratonicensem, Molonem Rhodium, Posidonium, philosophum Apamensem, rhetores Asianos, se applicavit. Rogatus vero a Molone, imperito linguae Latinae, ut commentaretur declamitando lingua Graeca, non invitus ei dicto audiens fuit, sic statuens ea ratione emendationem fore meliorem. Aliquando, cum declamitasset, factum est, ut omnes, qui audierant, obstupefacti admiratione, inter se decertarent laudibus, Molon inter dicendum nec laetitia perfunderetur, et, postquam desiit, cogitabundus diu assidens, ad iratum diceret: „Te quidem, Cicero, laudo et admiror; sed sortem Graeciae commiseror, intuens etiam ea, quae sola nobis praestantia relinquerentur, ad Romanos transportata esse, eruditionem et eloquentiam.“ Eum quasi praesagenti animo futura providisse haud scio, an nemo melior sit auctor Cicerone ipso, cujus ad id spectantia verba laudanda videntur esse: „Quo uno vincebamus a victa Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum“^{*)}. Biennio postquam, spei plenus, rei publicae forensibusque negotiis se tradiderat, ejus studium hebetatum est oraculo, quod ei Deus Delphicus dabat. Etenim quum interrogaret, qua ratione sibi liceret in maxima celebritate et in oculis civium vivere, jussus est a Pythia suam naturam, non existimationem multitudinis ducem vitae sibi eligere. Eaque causa fuisse putanda est, cur, triginta annos natus, Romae initio caute degeret, cunctanter munera ambiret, non respiceretur. Quin etiam haud raro accidit, ut audiret voces illiberalibus hominibus maxime promptas et usitatas „Graeculi et scholastici.“ Sed e Plutarcho hactenus! Nunc videamus, quum scribamus de opinione populari, quae notitiae populares his ad Ciceronem pertinentibus verbis suppositae sint, ducibus ipsis rerum scriptoribus. Ordiamur igitur a „Graeculo,“ quod est deminutivum nominis „Graeci.“ Quodsi vocabula deminuta in lingua Latina consideraverimus, contentione eorum facta, reperiemus talibus substantivis interdum contineri bonam ironiam irrisoremque et contemptum cum ludibrio quodam connexum, quibus adnumeranda est vox „Graeculi,“ cujus commodum mentionem fecimus. Recensentibus nobis nonnullos locos librorum, in quibus id substantivum deminutum adhibitum est, occurrunt hujusce modi voces inter se conjunctae: „Ineptum sane negotium et Graeculum“^{**)}. Nam postquam Pompejo, qui in gravem morbum inciderat, melius est factum, non solum Neapolitani et Puteolani idcirco coronati fuerunt, sed etiam id, quod ineptorum et Graecorum diceret, quos cum despectu nuncupavit, vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Adde mores animosque vividos mobilesque Graecorum, quibus Romani nequaquam delectabantur et mirum, quantum aberant; quam dissensionem expressam animadvertemus verbis insequentibus: „Motus quidam temerarius Graeculae concionis“^{***)}. His exemplis addendae sunt locutiones: „Graecula cautio,“^{****)} quae quidem erat multorum verborum, sed nulla fide digna s. levis, „comites Graeculi,“^{*****)} qui propter nugas a Romanis et petebantur et

*) Brutus LXXIII, 254.

**) Disp. Tusc. I, 35, 86.

***) Cicero pro Flacco X, 23.

****) Cicero ad Div. VII, 18, (chirographi mei). Animadvertendum, quid Süpfle (Editio sexta), ad hunc locum adnotarit: „Graecula nennt er sie zunächst mit Beziehung auf das aus dem Griechischen entnommene Wort chirographum, zugleich aber mit spötelnder Betonung: ächt griechisch, d. h. wortreich, überschwänglich in Worten.“

*****) Cicero pro Milone XXI, 55. Operae pretium videtur esse hic repetere, quae in adnotationibus orationis ejus ad haec verba C. G. Scheller diserte ac scite nostra lingua docuit: „Die grossen, reichen Männer zu Ciceros Zeiten hatten ausser einer Menge Sklaven männlichen und weiblichen Geschlechtes, die ausser der Bedienung ihrer hohen Gebieter und Gebieterinnen noch allerlei angenehme und schöne Künste verstanden und z. B. auch die Hauscapelle der Herren und Damen vom Hause bildeten, noch als einen besonderen Zweig des Luxus Griechische

contemnebantur; nam philosophi, rhetores, poetae Graeci, ut crebro comitabantur nobiles Romanos in itineribus, ita, quum haberentur leves, garruli, litigiosi, assentatores, non admodum docti, indigni consuetudine atque usu viri gravis e civitate Romana erant, a quo nihil turpius habebatur, quam versari in artibus ludicris. Optime ipse Cicero hanc denominationem illustrasse et explicasse videtur, quum in oratione pro Sextio dixit: „Deinde ex impuro adolescente et petulante, postquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio litterarum subito se dedit“*). Graeculi igitur, quia Romam ventitantes, quamlibet artem lucelli causa profitebantur, fallaciae nomine despiciebantur; id, quod claris verbis Cicero exposuit in primo de Oratore libro, ubi hasce in vituperium vocavit oratorias artes: „Orator autem omnia haec, quae putantur in communi vitae consuetudine mala ac molesta et fugienda, multo majora et acerbiora verbis facit; itemque ea, quae vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat, neque vult sapiens inter stultos videri, ut ii, qui audiant, aut illum ineptum et Graeculum putent, aut, etiamsi valde probent, ingenium oratoris sapientiamque admirentur, se esse stultos moleste ferant**).“ Jam vero hoc nomen nihil habet dubitationis, quin a scriptoribus Latinis cum contemptu positum sit, quum Cicero — et quem judicem artium litterarumque atque arbitrum! — proprium hominum Graeculorum contentionem cupidiorum, quam veritatis judicaverit verbi controversia torqueri. Nam Romani, quae erant severa atque industria vita, tantum aberat, ut negarent ullam rem esse aut tantam, aut tam improvisam, aut tam novam, de qua se non omnia, quae dici possent, dicturos profiterentur, ut tales inutiles disputationes, quae re vera in sola contentione verborum verterentur, indignas statuerent, in quibus elaborarent, cujus artis qui despectus, multis circumforaneis et semidoctis Romam confluentibus cotannis, in dies augebatur. Jure igitur Crassum indignationis plenum Sulpicium et Cottam interrogantem facit, cur sibi tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito quaestiunculam proponant, de quo suo arbitrato loquatur. Quando enim se ista curasse arbitrarentur et non semper irrisisse potius eorum impudentiam, qui, cum in schola assiderent, magna hominum frequentia, dicere jusserint, si quis quid quaesiverit. Deinde cum Crassus, instantibus adolescentibus, qui scire concupiscebant, existimaretne aliquam artem esse dicendi, se paratum esse confiteretur adducere aliquem Graecum, qui eos istius modi disputatione delectaret, ii se ullius Graeci cotidianam loquacitatem sine usu, neque e scholis cantilenam requirere infatati sunt, quod doctor aliquis Graecus pervulgata praecepta decantaret, quum ipse numquam forum, numquam ullum judicium aspexisset. Tali cum exercitatione generis dicendi, remota ab usu,

Virtuosen jeder Art, Rhetoren Grammatiker, Aerzte, Philosophen, Dichter zu ihrem Hofstaat und in ihrem Gefolge. Freilich waren dieses, da der grösste Theil dieser römischen Grossen dadurch nicht einem Bedürfnisse ihres Geistes und Geschmacks, sondern nur einem Gesetze der Mode ihres Standes und Stolz huldigten, nur selten Männer, wie Archias; (welcher Freund des Lucull und sein Gesellschafter auf Reisen war). Grösstentheils waren es nur Griechen (von Geburt), die man sich aus Luxus hielt, so wie die neueren europäischen Grossen (um Grosses mit Kleinem zu vergleichen), sich ihres Ranges zu begeben geglaubt hätten, wenn sie nicht auch, wie viele andere Dinge, einen französischen Sprachmeister, oder eine französische Gouvernante in ihrem Hause hätten aufzeigen können. pag. CCCII. Idemque alio loco ejusdem orationis notavit ad „pueros symphoniacos:“ Diese Stelle giebt einen Beweis, dass die römischen Grossen auch auf Reisen bedacht waren, sich der langen Weile, wenn sie davon befallen wurden, zu entschlagen, und dass sie sich selbige durch Gesang und Instrumentalmusik vertreiben liessen. pag. CCCXXXXVII.

*) LI, 110.

**) LI, 221.

tantummodo florenti ornatu verborum quin successus non conjunctus esset, fieri non potuit; ad quod comprobandum operae pretium esse duxit e rerum gestarum memoria exemplum scripto intexere, quod brevi afferendum videtur esse. Apud Antiochum regem temporibus belli Punici secundi Phormio ille Peripateticus versabatur, quem ut Hannibal audiret imperator, Carthagine expulsus, ab hospitibus suis invitatus esse dicitur. Postquam ille, magna copia et quaesita pulchritudine usus verborum, aliquam diei partem munera imperatori defungenda splendida et praeclara oratione persecutus est, omnes ceteri, qui audierant, ingenio sapientissimi et eloquentissimi omnium hominum magnopere delectati et obstupefacti sunt, quasi in dicendo esset Deus. Hannibal, ut erat prudens et vacuus ab omni assentatione omnibusque illecebris, exclamavit, quamvis jam cum multis insanis hominibus collocutus esset, tamen neminem sibi Phormione isto visum esse insanio-rem. Hoc vere licet dicere istum neque arrogantiam praecipiendi vitasse, nec temeritatem docendi fugisse, quae a sapientia plurimum dissiderent, quum homo Graeculus, ratus se puero, aut adolescentulo praecepta de re militari dare, animum induceret, armis numquam commotis, neque hoste umquam conspecto, belli summis periculis discriminibusque probatum ac spectatum imperatorem, cui non internicivum cum Romanis esset bellum, sed qui de dignitate atque imperio certabat, doctrinam perridiculam docere, ab eoque justam poenam repetitam esse atque exactam, quum propter istam impudentiam dimitteretur. Cujus generis viri, quamquam, Graecia jam a Romanis devicta, Romam frequentabant, tamen ad eam arrogantiam processisse traditi sunt, ut neminem Romanum quidquam intellegere arbitrarentur, omnesque eam artem ceteros docere conarentur, quam ipsi non experti essent. Quid igitur mirum, quod rigidi Romani istos ob passim visam levitatem, mollitiam, assentationem fallaciasque despiciebant ac dehonestabant? Quos istorum superbos spiritus et sordidam condicionem Juvenalis, satirarum scriptor, hisce versibus bene descripsit, genere ita diviso:

„Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,

Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit

Graeculus esuriens: in coelum jusseris, ibit“^{*)}.

Quid? ii nonne rem omnium inanissimam tractavisse videntur usque ad ineptias ac derisum, qui discentium animos talibus quaestionibus ac responsis implerent, quae mater Hecubae, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare solitae essent, qui operose id agerent, ut investigarent, quem numerum Ulixes remigum habuisset, prior scripta esset Ilias, an Odyssea. Profecto nemo dubitavit tale litterarum inutilium studium morbum appellare, nisi forte insanit. Alterum hujusce modi exemplum a Cicerone editum videmus, quo similem eandemque ignominiosam artem viri Romani, qui ad istos defecerat, identidem orationibus compluribus vividis coloribus depingebat et acriter in eum invehebatur, ut nefarium istum hominem invisum efficeret Romanis. Is fuit C. Verres, qui, cum imperio in Siciliam missus, per triennium provinciam depopulatus est, sacra profanaque omnia et privatim et publice spoliavit versatusque est sine ulla non modo religione, verum etiam dissimulatione in omni genere furandi ac praedandi, civitates vastavit, domos exinanivit, quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in Siculorum urbibus, aedibus, delubris fuit, eripuit atque abstulit, Deum denique nullum Siculis, qui sibi paulo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. Cicero autem, ne omnes ad id

*) III, 76 — 78.

spectantes res ostiatim ageret, qui in ita scopuloso et difficili loco erat, ut omnia istius facta memoria consequi, aut oratione complecti non posset, cum eum accusaret et legibus ac jure sociali persequeretur, morbum ejus et insaniam quo nomine accusaret, nescius, quod non solum opus erat ingenio, sed etiam artificio quodam singulari, ut ejus infamiam detegeret, causam non solum exposuit, sed etiam graviter copioseque egit, eum, qui, quum esset sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris, solus vasis Corinthiis delectaretur, illius aeris temperationem, operum liniamenta sollertissime perspiceret, intellexeret, judicaret, per ludibrium hominem elegantissimum atque eruditissimum nominavit, tamquam magnopere artibus litterisque deditus esset. Jam vero eum, quum Sapphonis statuam de prytanio Syracusarum auferret, nec tamen epigramma Graecum, pernobile, quod incisum erat in basi, tolleret, hominem eruditum et Graeculum nuncupavit, qui nimirum haec subtiliter judicabat, qui solus intellegebat, quamquam nullam litteram Graeciam scivit*). Ratione, quam supra exposui, quum a Graecis omnia mala ad Romanos transferrentur, non defuerunt, qui suos adhortarentur, ne se iis imbuendos depravandosque traderent, e quibus M. Ciceronem senem, oratoris patrem, laudatum velim, qui exclamavit: „Nostros homines similes esse Syrorum venalium; ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum; **) quocum fere in litteris ad filium datis Cato consensit ***). Quum Graeci omnium vitiorum genitores haberentur, facile accidit, ut Romani Graecorum, imprimisque Atheniensium res gestas, quae satis amplae magnificaeque erant, aliquanto minores haberent, quam fama ferrentur. Sin vero per orbem terrarum facta Atheniensium pro maximis celebrarentur, idtribuendum esse magnis ingeniis scriptorum, qui ibi provenissent, quum virtus eorum tanta haberetur, qui ea fecissent, quantum ea verbis possent tollere praeclara ingenia. Fuit idcirco Ciceroni, cur in epistola ad Quintum fratrem doceret e Graecis ipsis etiam diligentur cavendas esse quasdam familiaritates praeter hominum perpaucoꝝ, si qui essent vetere Graecia digni. Sic vero fallaces esse multos et leves et diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditos. Quid? quod Juvenalis ausus est libere et impunitè canere:

„Et quidquid Graecia mendax

Audet in historia. ****)

Ut ut id erat, multi Romani non solum in urbe, sed etiam per Italiam, in provinciis ea mala adamaverunt, adamata auxerunt. Jam diutius in uno vocabulo „Graeculi“ explicando versatus esse videor; sentio occurrendum esse satietati animi. Ne igitur obtundam diutius, si omnia, quae attuli, brevi complexus ero, apparebit ea voce significari hominem cum contentu a Romanis rejectum ac repudiatum, propterea quod, derelicto patrociniū patriarum virtutum, artes litterasque Graecas adamavisset, adamatas sui juris fecisset, id, quod alienum fuisse statuendum est a moribus severis rigidisque Romanis. Quod cognomen accepisse historia edocti scimus Hadrianum Augustum, quod is imbutus esset impensius studiis Graecis, ingenio ejus sic ad ea declinante. Quam-

*) In Verr. Act. II., Lib. IV, 57, 125—127. Quam ad vocem hoc loco Richter adnotavit: „Graeculus hier von einem Schöngelst, anderwärts von einem Schwätzer, Schmeichler, Rabulisten, wie dergleichen Römer im Gefolge vornehmer Redner sich befanden. Dass man in Rom geneigt war, einen für Kunst und Wissenschaft lebenden Mann mit Spott Graecus, oder Graeculus zu nennen, zeigt auch Cicero's Beispiel, Plutarch, Cicero V., (2. Auflage Eberhard).

**) Cicero de Orat. II., 66, 265.

***) Plinius Hist. nat. XXII., 1.

****) X., 174 — 175.

quam infitias non itur multa commoda ab iis viris in multitudinem redundasse, quum rudes homines multa et varia docerent, ut politi viri. Sed haec hactenus, quum in ea re testibus gravissimis usi simus. Hoc igitur cognito, dicendum est nobis, quaenam notio ac vis in vocabulo, „scholastici“, quod forma Graeca Plutarchus cum „Graeculo“ conjunxit et Ciceronis studiis attribuit, fuerit, eandem, atque antea, viam ingressis, petendo testimonia e veterum scriptis et explicando. Quae si longior fuerit oratio, cum utilitate inde percepta comparetur; ita fortasse etiam magis perspicua videbitur. Constat inter omnes, quod pluribus verbis a Panaetio Stoico, Cicerone auctore, commemoratur, neminem, nec ducem belli, nec principem domi magnas res et salutare sine hominum studiis gerere potuisse. Adde, quod, ut nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur, ita adipiscimur magnas utilitates conspiratione hominum ac consensu. Quum autem hominum studia ad amplificationem rerum aliorum prompta ac parata virorum praestantium sapientia ac virtute excitentur, virtutis proprium hoc statuendum sit perspicere, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, e quo quidque gignatur, quae cujusque rei causa sit; locus eligitur, in quo liberalibus studiis sub magistro operam detur. Qua in re ordiamur ab explicatione „scholae“ petita a Festo grammatico, qui ita disseruit: „Scholae dictae sunt non ab otio et vacatione omni, sed quod, ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueris debent *). Eandemque in sententiam Ausonius poeta de ea re cecinit:

„Grajo schola nomine dicta est,

Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis“ **).

Is vero, qui tales scholas veteribus temporibus adibat, audiebat homines de schola atque a magistro et litteris Graecis eruditos, qui non docebant, quo modo pecunia quaerenda, collocanda, utenda esset, quum de iis rebus commodius a quibusdam viris ad Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputaretur, sed qui explicabant et admonebant discipulo non theatrum, neque odeum, quod vocant, frequentandum esse, sed scholam et ludum, ut perciperet, quo modo vitae degendae genus optime eligeret ac corrigeret ***). Vel temporibus caesarum Romanorum retinuit notionem loci, in quem certum genus hominum ad tempus utilibus sermonibus terendum conveniebat. Figura metonymiae usurpata, traditum est ea voce significari ipsam disputationem et doctrinam, quae in schola fieret et explicaretur; id, quod multis Ciceronis locis proclive est comprobatu. Ne omnes enumerem, sufficit laudare, quae Cicero initio secundi de Finibus bonorum et malorum libri disputavit: „Deprecor, ne me tamquam philosophum putetis scholam explicaturum, quod ne in ipsis quidem philosophis magnopere probavi.“ Eademque potestas cernitur ex insequentibus Quintiliani verbis: „Sunt velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae; ****) i. e. hi libri nihil aliud sunt, nisi scholae (disputationes rhetoris) in commentarios, quos adolescens contexuit Cicero, relatae, quales fuerunt disputationes perpetuae de re proposita Tusculanae. Dicebatur in his scholis de paupertate, de vita inhonorata et ingloriosa, de exilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solebat calamitatis; ne longus sim, erant in scholis declamationes de materiis causisque, quae in foris locum non habebant; id, quod patet ex his verbis: „Erat mihi curae in

*) pag. CCCXXXXVII.

**) Idyll. IV., 6.

***) Itaque Plutarchus *περί τῶν σχολαστικῶν*: „οὐκ εἰς θέατρον, οὐδὲ ᾠδεῖον, ἀλλ' εἰς σχολὴν καὶ διδασκαλεῖον ἀφίκεται, τῷ λόγῳ τὸν βίον ἐπαγορευόμενος.“ De audiendo VIII.

****) III, 6, 59.

controversiis forensibus nosse omnia, quae in causa versarentur. Nam in schola certa sunt et pauca et ante declamationem exponuntur, quae *θέματα* Graeci vocant, Cicero proposita.“*) Quod a „schola“ deductum est adjectivum „scholasticus“, Graece „σχολαστικός“, significat proprie eum, qui oratoris declamationibus et eloquentiae studiis operam navavit. Ita evenit, ut veteres scriptores dicerent de „scholasticis controversiis“ i. e. talibus, quales locum habebant in scholis rhetorum, ut mentionem facerent „scholasticae materiae“, quatenus in foro non accidebat, in schola tantum exercebatur. Scholae enim aut fingebant causas et materias, aut interdum a Graecorum legibus et consuetudine repetebant. Similique de causa „scholastici“ dicebantur, qui in scholis rhetorum eloquentiae vacabant, ut comprobatur loco in Petronii Satyrico: „Ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat ab extemporali declamatione, nescio, cujus, qui Agamemnonis suasoriam exceperat“;**) cui adjungenda sunt verba dilucida Quintiliani: „Cognoscere enim et praecepta vivendi perdiscere et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus.“***) Rhetores et „scholasticos“ inter se conjunctos esse scriptum legitur apud auctorem dialogi de Oratoribus.****) Praeterea ita denominatos esse rhetores, quamdiu in scholis et in privata umbra causas agerent declamando, consequitur ex his verbis: „Declamabat autem genere vario, modo splendide atque ornate, tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise atque sordide et tantummodo trivialibus verbis;*****) h. e. ne videretur meditata afferre et ex scripto, ut saepe faciunt scholastici eloquentiae studiosi; cupiebat credi se dicere scire etiam ex tempore. Quorum mores bene depinxit et adumbravit Plinius, cum scribebat: „Annum sexagesimum excessit et adhuc scholasticus tantum est; quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolumus, addiscimus“.*****) Quo in dignitatis gradu positi sint, intellegitur e Tacito, qui memoriae mandavit: „At nunc adolescentuli deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est, quod, L. Crasso et Domitio censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae jussi sunt“;*****) quem ad locum Lipsius subtiliter animadvertit: „Divinabam olim, scholas, male. Nam apposite scenas appellat loca, in quibus fucata illa et personata eloquentia exercetur, velut per lusum“; quibus dictis facere non potui non adjungere elegantem interpretationem Ernesti: „Item, sicut in scena fictae personae, fictae res, sic in scholis rhetorum fictae causae tractabantur.“ Denique in voce „scholastici“ fuisse potestatem alicujus viri litteris eruditi, docti liberalibus studiis, venustis moribus exornati, quales solerent esse litterarum studiosi, multis veterum locis haud difficile est ad judicandum. Sic scriptum invenimus apud Hieronymum: „Serapion ob elegantiam ingenii cognomen scholastici meruit.“*****) Alterum exemplum nobis editum est his verbis: „Nam quia scholasticus es, non immerito te versu comici illius admonebo: (Terent. Andria I, 1, 41.)

Obsequium amicos, veritas odium parit.“*****)

*) Quint. VII, 1, 4.

**) VI.

*** XII, 11, 16.

**** XXXXII.

***** Suet. de claris rhetoribus VI. (de C. Albutio Silo.)

***** II. Epist. 3.

***** Dialog. de Orat. XXXV.

***** Viri illust. n.

***** Sulp. Sev. Dialog. I, 9.

lis autem, quae de vocabulo „scholastici“ exposui, id et in eos cadere certum est, qui bonis artibus operam dent, et de iis disputationibus dici, quae in scholis fiant, et tractatione artium litterarumque. Quamquam multis, quos intexui scripto, locis e veterum libris scriptorum haud contemnendae praestantiae Romanorum satis comprobatum est id vocabulum non alienum fuisse ab emendata dictione Latina, tamen hoc vere licet dicere id numquam a Cicerone, principe scriptorum Latinorum in multis ejus, qui extarent, libris locum habuisse.*) Quodsi animo et cogitatione comprehendero, quae docuisse videor de vocabulis „Graeculi et scholastici“, quibus Cicero a nonnullis aequalibus denominatus est, haud facile erit ad intellegendum ita eum esse nuncupatum per irrisionem, quod tempus consumeret in artibus litterisque Graecis sui juris faciendis, quas quidem Romani, tantum aberat, ut magni aestimarent, ut plane despicerent eumque idcirco talem existimarent, qui, quum misere haereret et quasi habitaret in libris perlegendis nullius momenti ad vitam humanam, instar hominis esset nihil agendo bonum otium perdentis. Nec minus ei infensi infestique erant animis, quod eas res ludicras, novas, inusitatas popularibus suis imbibendas dare pararet.**)

Quoniam de vocibus, quas supra posui, dixi, nunc dicam de iis, quae Cicero contulit ad mores Romanorum studiis suis philosophicis limandos emendandosque. Quamquam rem publicam, ut inde exordiar, veteres Romani bonis temperaverunt et institutis et legibus, tamen ratio ac disciplina omnium artium, quae ad recte agendam vitam pertinerent, quae studio sapientiae continebantur, fuit desertarum derelictarumque patrocinium, quum philosophia lucem eriperet et quasi noctem quandam rebus offunderet. Historia quidem edocti scimus, quum a primo Urbis ortu auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditumque descriptio, tota res militaris essent constituta, tum progressionem admirabilem incredibilemque cursum ad omnem excellentiam factum, dominatu regio re publica liberata. Quum vestigiis quibusdam judicandum sit doctrinam Pythagorae, philosophi illius Samii, qui fuit in Italia iisdem temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit, quum longe lateque fluere, etiam Romam pervenisse, non credibile videtur esse, quum in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras, ejusque nomen summum esset, Romanorum clausas fuisse ad ejus doctissimas voces. Quamvis igitur probabile sit sapientiae studium jam vetus fuisse in Romanis, tamen ante Laelii et Scipionis aetatem inveniri nequeunt, qui habiti sapientes et nominati sint. Omnino negari non potest Romanos libenter

*) Audias, velim Krebs in Antibarbaro sub vocabulo: „Scholasticus“. Scholasticus ist zwar erst N. Kl., findet sich aber bei den Besseren, theils von Personen gebraucht, die sich mit Schulgegenständen beschäftigen, theils von Sachen, welche in der Schule behandelt werden; richtig ist daher res scholasticae, Schulsachen, homo scholasticus ein Schulmann, Schullehrer; und so ist es anzuwenden. — Verschieden sind davon die philosophi scholastici des Mittelalters und ihre philosophia scholastica.

**) Digna, quae commemoretur, adnotatio, quam Me. Dacier ad verba Plutarchi fecit: „Il avait le déplaisir de s'entendre appeller Grec et écolier. Le peuple disait sur ce qu'il haranguait en Grec et qu'il étudiait encore sous les philosophes Grecs à l'âge de trente ans. Le peuple croit qu'il n'y a que les enfants qui doivent étudier. J'ai cru que ce σχολαστικός était mieux rendu par écolier que par fainéant, quoique Cicéron ait mis otiosus pour scholasticus.“ — Et paulo post docta eadem femina animadvertit ad verba Plutarchi, quae supra Latine interpretatus sum (pag. IV.): „ταῦτα δὲ τὰ Ῥωμαίων τοῖς βαννοσιτάτοις πρόχειρα καὶ συνήθη ἔηματα ἀκούων“ „Qui sont des termes injurieux.“ Et c'est par là qu'il faut expliquer le prétendu oracle qu'il avait reçu de la Pythie qui lui ordonnait de suivre son propre naturel, et nullement l'opinion du peuple. Car s'il avait suivi l'opinion du peuple, qui lui marquait son mépris par ces injures, il ne serait rebuté et n'aurait rien fait. Cela méritait d'être expliqué. Tome XI.

a Graecis, quum adhuc essent liberi, leges, artes, litteras, quibus eadem, quae forma veterrimis Graecorum, esset, non solum arcessivisse et accepisse, sed etiam conservavisse et excoluisse, ut dicere liceret litteras Romanas natas esse, quum Graecorum essent Romam introductae. Sed quum sensim paulatimque eae artes litteraeque latius manarent, strenue a multis Romanis pesti moribus institutisque instanti occurrebatur; sed frustra! Memoriam renovare satis est trium legatorum, qui ab Atheniensibus Romam missi erant ad senatum impetratum, uti multam remitteret, quam iis irrogaverat propter Oropum urbem vastatam. Qui philosophi, Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus, non electi essent, scholis excitati, ad grave illud munus explendum, nisi jam conjectura probabile fuisset illis temporibus nonnullos principes doctrinae studia explicavisse, qui, cum nihil de iis conscriberent, eam magis usu, quam ratione exercerent. Quum inde ab eo tempore nulla ferme, aut pauca admodum monumenta Latina verae illius elegantisque philosophiae extarent, ex ea una re Cicero maximam laudem cepit, quod eam amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam litteris persecutus est. Nam summam virtutem non positam esse in forensi opera, sed in perfecto genere scribendi dicendique Latine inter omnes constat. Quamvis enim, id, quod nos decet, magni aestimemus et ad coelum laudibus tollamus victorias, quae toto cursu publico a primo honore usque ad summum munus consulatus et usque ad decore et gloriose profligatam conjurationem Catilinariam nactus est, non ambigi potest, quin ullum ejus fuerit praeclarior ac perennius meritum, nisi quod in linguam Latinam perpoliendam et litteras popularium suorum nobilitandas contulerit. Quis enim est, qui infitias eat ejus apprime opera effectum esse, ut lingua patria et litterae oratione soluta confectae, manantes ac profectae maximam partem ab artificiis, quae ingenium peperit Graecorum, a forma primitiva et rudi ad perfectionem tantam tollerentur et proveherentur, quanta et cum imperio populi Romani, terrarum domini, congrueret et ejus in rebus ad victum cultumque et artes ac mores spectantibus momento a fortuna dato par esset. Nam quemadmodum obscurari non potest Urbem Romam fato destinatam esse, quae doctrina artibusque Graecis, quarum magnitudinem monumenta sempiterna per omnes terras omniaque maria testarentur, Romanorum animos imbueret atque impleret, impletos earum splendore penitus illustraret eo ipso tempore, quo populus Graecorum, quum vires amisisset, percussus atque afflictus non jam valebat artes litterasque generi humano ad eruditionem hauriendam suppeditare, ita in Romanis Cicero imprimis is fuit, in quo animi indolisque viri germane humani cum natura principiisque Graecis perfectis et re et forma conjuncti summum exemplar perspicimus. Quamquam jam dudum ante Ciceronem Graecorum monumenta ingenii Romanis cognita erant, quum Atheniensium civitatem, praeter ceteras civitates moribus institutisque insignem et magistram totius Graeciae, Pericles orationibus gravibus comprobasset aliis ad imitandam proponendam esse.*) Quid? Italia nonne quondam plena Pythagoreorum fuit, ut appareret eam civitatem numquam aspernatam esse philosophiam? Numa Pompilius illam sapientiam constituendae civitatis non duobus prope saeculis ante cognovit, quam Graeciam natam sentirent? P. Africanus, C. Laelius, quibus nulla umquam civitas humanitate politiores tulit, non secum eruditissimos e Graecis palam semper habuerunt; non tres illi nobilissimi legati,**) dum Romae erant, ab iis et ab aliis frequenter audiebantur? Quamquam extiterunt, qui non tantum studium et tam multam operam in eo ponendam arbitrarentur, tamen hoc licet dicere quibusdam modo, et iis quidem non admodum indoctis, totum id philosophari displicuisse, quod, *ἐὰν τις περαιτέρω τοῦ δέ-*

*) Thucyd. lib. II, cap. 37—41.

**) hac pag. supra.

οντος ἐνδιατρῆψις, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων*) esset. Sed omnium virorum doctorum nemo accuratius et clarius intellexit, quantum valerent litterae Graecae ad excolendas ac tollendas Romanas, nemo tam indefessa cura et diligentia elaboravit ac contendit prospero cum eventu, ut alius populi monumenta ingenii e Graecia in Latium, tamquam in vas pro temporibus adhuc purum transferret, quam Cicero, qui, quum, qui ante eum iisdem studiis operam navaverant, tantum incitati essent, jam ipse, quibus erat ingenii facultatibus, imitando procreatas Latinas, easque a Graecis non profectas litteras docebat. Ejusque imprimis contentione ac labore effectum est, ut non solum Romanorum litterae pares existerent litteris Graecorum, sed etiam, conjunctis virtutibus utriusque populi, in sui populi lingua litteras Graecas praetervolaret. Quae cum ita essent, quum, quid ubique esset alicujus momenti in litteris et Graecis et Latinis, perscrutabatur, tum, quidquid scientiae sibi acquisiverat, etiam popularibus suis suppeditabat. Testimonio meae sententiae laudo verba ipsius Ciceronis: „Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla major occurebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus; quod compluribus jam libris me arbitror consecutum.“**) Quid igitur utrique in artibus litterisque profecissent, quum ad summum fastigium provectae essent, postquam comparando percepit, summo studio in id incubuit, ut Graecis palmam eriperet. Quocirca jure Brutum ita loquentem ad se fecit: „Magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque oratorem copiae dixerit (scilicet Caesar), quae erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et dignitate.“***) Ipse Cicero, simulac turbata ejus vita tranquillior facta est, praecipue se id agere identidem professus est, ne Romani litteris de philosophia Graecis egerent, quum illud etiam illis esset gloriosum. Quod studium quo facilius augeretur, gravibus verbis, qui id facere poterant, cohortatus est, ut ejus generis laudem jam languenti Graeciae eriperent et perferrent in eam urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria majores suis transtulissent. Quam ad rem perpetrandam philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae: quae fuse olim disputabantur ac libere, ea articulatim distincteque ausus est dicere. Quum saepe animadvertisset Catonem, cum in senatu sententiam diceret, locos graves e philosophia tractare, abhorrescentes ab usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur, ratus nihil esse tam incredibile, quod non dicendo fieret probabile, nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendesceret oratione et tamquam excoleretur, fecit etiam audacius, quam ille ipse, quem audierat, et excitationes suas ex intima sapientia hauriendas putavit, quae, a suis hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta, mater omnium bonarum artium nominabantur, a cujus amore verbo Graeco philosophia nomen invenit. Sicuti autem ipse, commentariolis suis lectitatis, non modo se exercebat continuo scribendo et dicendo, sed etiam ingenium mentemque suam ad summum perducebat imbuendo docendoque eas artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, philosophiam, historiam, litterarum cognitionem et poetarum excolere ad munus suum explendum ac fungendum studebat, ita multifariam in suis libris iis exponebat exquisite et sollerter, testatus est ex omnibus se unum philosophiae studio excellere, et docto oratori palmam esse dandam, qui sapientiam junctam haberet

*) Plato Gorgias XXXX, c.

**) De divinatione I, 1, 1.

***) Brutus LXXIII, 254.

eloquentiae, cui, quae essent in hominum vita, quandoquidem in ea versaretur verus orator, atque ea ei esset subjecta materies, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Ita, quoniam in populari ratione omnis ejus versaretur oratio, ut populariter interdum loqui necesse esset, nominabat sapientiam Graecorum cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi, e qua profecti essent Lycurgi, Pittaci, Solones et in simili contentione studiorum e suis Coruncanii, Fabricii, Catones, Scipiones, etsi illis prudentia inferiores fuissent. Praeterea multos et alios extitisse, ut Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, qui a negotiis publicis remoti, totos se ad cognitionem rerum transferrent, qui, quum idem iis esset propositum, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur; cujus proprium esse sic vivere, ut velles, et impune quaelibet facere, i. e. regem esse. Qua vita quum nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominibus posset datum esse propter tranquillitatem et propter ipsius scientiae suavitatem, plures, quam utile fuisset rebus publicis, ingeniis uberrimis abundantes homines eam sibi curandam, quaerendam, investigandam duxisse. In memoriam Romanis revocavit jam fabulosis temporibus illam doctrinam eandem et recte faciendi et bene dicendi magistratam fuisse; neque jam tum dijunctos doctores, quum iidem essent vivendi praeceptores ac dicendi, ut Homerus cecinit a Peleo Phoenicem Achilli comitem datum esse ad bellum, cujus opera fieret orator verborum actorque rerum. Quum igitur animum induxisset munus rei publicae afferre, quo melius majusve nullum esse posset, docendae et erudiendae juventutis, ipse, quum rhetori Latino operam daturus esset, doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant exercitationibus Graecis ali melius ingenii posse, continebatur et vertere Graeca in Latinum auctoritate veterum optimum judicavit; id, quod ipse frequentissime in se percepit. Quanta commoda redundarent in Romanos e lingua Graeca, exposuit, cum causam afferret, cur libros Platonis, Xenophontis, aliorum Latine converteret. Etenim cum explicaret orationes Graecas summorum oratorum, iis lectis, id se assecutum esse, ut, cum, quae legisset Graece, Latine redderet, non solum optimis verbis uteretur et tam usitatis, sed etiam exprimeret, quae nova Romanis essent, dummodo essent idonea. Graecorum autem esse legendos poetas, cognoscendas historias, omnium bonarum artium doctores et scriptores legendos et pervolutandos, percipiendam omnem antiquitatem, cum constaret neminem ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse. Quo factum est, ut propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum dicendi novitate ad se converteret, quum de ceteris nemo esset, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum studuisse litteris, nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum. Sed quum Cato Uticensis, pronepos Catonis Censorii, unum e tribunatu militum philosophum, alterum e legatione Cypria deportavisset, lingua Graeca semel importata artibus litterisque Graecis Romae brevi tempore incrementa suppeditabat et praeter ceteras omnes artes, quae a Romanis colebantur, maxima prosperitate cumulavit. Nam omnium opinione celerius

„Graecia capta ferum victorem cepit et artes

Intulit agresti Latio.“*)

Quoque altiores radices ageret philosophia adventicia, viri, qui ejus doctrinae studio animos mentesque imbuerant, adolescentibus Romanis suadebant, ut ad suam utilitatem semper cum Graecis Latina conjungerent, ut pares essent in utriusque generis facultate, quum lingua eorum et natura rerum pateretur veterem illam excellentemque prudentiam ad usum et morem Romanos transferri. Illam autem rem ut ipse prospere conficeret, censuit aut iis verbis utendum esse, quae propria

*) Horat. Epist. II, 156—157.

essent et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis, aut iis, quae transferrentur et quasi alieno in loco collocarentur, aut iis, quae novarent et facerent ipsi. Ac prosperum fuisse ejus audaciae successum testantur illi versus Horatii:

. „Si forte necesse est

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis

Continget, dabiturque licentia sumta pudenter,

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si

Graeco fonte cadent, parce detorta.“*)

Quam ad rem magnum suis civibus suis adjumentum attulisse visus est, ut non modo litterarum Graecarum rudes, sed etiam docti se arbitrarentur adeptos et ad dicendum et ad judicandum. Quum autem declarabat multas res urbanas extitisse majores clarioresque, quam bellicas, censuit forum castris, otium militiae, stilum gladio, umbram soli anteponenda esse, et se ipsum praestare minutis imperatoribus. Philosophiae, cujus in sinum portumque a primis temporibus aetatis ejus eum voluntas studiumque compulerat, gravissimis casibus, magna jactatus tempestate confugerat, postquam litteris mandavit praecepta, tantum aberat, ut ea doctrina proinde ac de hominum vita esset merita, laudaretur, ut a plerisque neglegeretur, a multis etiam vituperaretur, quum eam vereri deberent. At is ei, qui se penitus totumque traderet cognitioni divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cujusque rei qui studia omnia poneret in rerum contemplatione, cognomine studiosi philosophiae exornato unum diem bene et ex praeceptis ejus actum peccanti immortalitati anteponendum esse declaravit. Sed eam disciplinam secutus, quae, profecta a Socrate, prope modum tam esset orba in Graecia, quum efficere vellet, ut existerent multa probabilia, quae, quia visum haberent quendam et insignem et illustrem, homines sequerentur, nimis indociles tardique saepius admonendi videbantur, ut eam disciplinam neglexisse alteros paeniteret, alteri gauderent se profecisse. Cicero autem, ut in silvam non ligna ferebat, quum omnes eos, in quibus inesset studium, in Graeciam mitteret, i. e. ad Graecos ire juberet, ut eam a fontibus potius haurirent, quam rivulos consecrarentur, ita, id, quod majoris momenti videtur esse, ratus philosophiam etiam hominibus Romanis gloriosam esse, „*γλαῦταξ εἰς Ἀθήνας ἐνερχεῖν*“ non putandus est, quum vel M. Cato, etsi non caput ipsum adiret, tamen in senectute litteras Graecas disceret. Quodsi quis contenderit jam diu interisse Athenis doctrinam, ut is, qui idcirco Athenas proficisceretur, inanem rem moliri existimaretur, ei respondebitur verbis ipsius Ciceronis: „Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit; domicilium tantum in illa remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate.“**) Adeo autem non omnes ad ea studia incendebantur sibi que a Cicerone ea esse necessaria persuaderi patiebantur, ut multi essent, qui omnino non amarent litteras Graecas, plures, qui philosophiam, reliqui, etiamsi ea non improbarent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis decoram putarent. Ipse, quum ea doceret, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi sermone Graeco tractavissent, non erat nescius fore, ut is labor in varias reprehensiones incurreret. Nam existimavit viri litteris operam dantis esse non solum discere velle philosophiam et omnes ingenuas disciplinas, quamdiu quis vellet, sed etiam tamdiu velle debere, quoad eum, quantum proficeret, non paeniteret, nec rem esse facilis negotii extremis tantum labris gustare multa et

*) Ars Poet. 48—54.

**) De Orat. III, 11, 43.

gravia et utilia in philosophia, quae accurate et copiose a philosophis disputata essent, quaeque latissime paterent. Postulavit, ut studiosi litterarum invicta cura, quemadmodum ipse soleret, e fontibus ipsis suo iudicio arbitrioque, quantum quoque modo videretur, haurirent, quod essent rationis participes, per quam consequentia cernerent, causas rerum viderent earumque progressus et quasi antecessiones non ignorarent, similitudines compararent et rebus praesentibus adjungerent atque annecterent futuras. Adde, quod docuit imprimis hominis propriam esse veri inquisitionem atque investigationem, quod id, quod verum, simplex sincerumque esset, esset naturae hominis aptissimum. Jure igitur meritoque ei licuit dicere, quum e philosophorum scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi posset, tum varietas magna esset artium, neminem sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatum posse accedere. Ab iis oratores, ab iis imperatores ac rerum politicarum principes extiterunt, ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex ea, tamquam ex omnium artium officina profecti sunt. Inde sequitur totum philosophiae studium homini sumendum et ad vitae constantiam, quantum posset, et ad delectationem animi, quum omnes artes, quae ad humanitatem pertinerent, haberent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continerentur. Dubium igitur non poterat esse, quin is, qui eam „*βασιλικήν τέχνην*“*) cives doceret, de iis meriturus videretur, quod eos non modo copia rerum augeret, sed etiam verborum. Nam hoc philosophiam efficere non haesitavit declarare: „Medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec ejus vis non potest apud omnes; tamen valet multum, cum est idoneam complexa naturam.“**) Ut brevi praecidam, apex ejus doctrinae fuit docere, qui esset finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteret, quot essent virtutum, quot vitiorum genera, quibus modis illas assequi, ab his declinare possent, quo modo exsultanti jactantique se et detrectanti rationis imperium frenos inicere cupiditati oporteret, tum quo modo quisque in re familiari gubernanda gerere se deberet, postremo, quo nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius, ne votis quidem conceptis, optari posset, quibus moribus, institutis, legibus temperendae essent civitates, quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo beatissimae effici possent. Tam igitur praeclaras et ardentissimo studio summaque corporis et animi contentione explicuit res, ut non tantum studiosissime legendus, sed vix umquam de manibus deponendus esset. Quodsi omnia, quae de studio sapientiae docuit, consideravero, mihi pronuntiandum erit eum virum habendum esse, qui, bona ingenii habilitate praeditus et rationum praestantissimorum philosophorum peritus, quae didicit et percepit, non solum e lingua Graeca in Romanam transtulerit, perspicue, decore expresserit, sed etiam accurate consideraverit, contulerit, discreverit, saepe novis argumentis fulserit, declaraverit, produxerit, idemque gravitatem sententiarum inter se comparaverit suumque ipsius iudicium adjecerit, denique philosophiam adhibuerit ad nonnullas a Graecis neglectas res, e tenebris quasi ad lucem traxerit, cives optimis et saluberrimis praeceptis sapientiae locupletaverit. Atque ut paucis defungar, liceat mihi ponere aurea illa dicta M. Antonii Mureti de doctrina disputantis: „Quo modo poterunt aut quidquam communicare cum aliis, qui nihil ipsi, nisi loqui didicerint, aut quidquam egregium dicere, nisi qui philosophorum monumenta contriverint? Etenim qui sunt tandem scriptores illi, qui distincte ordinateque dicendi praecepta tradunt? philosophi;

*) Plat. Euthyd. pag. CCXCI, 3.

**) Disp. Tusc. II, 4, 11.

qui rerum admirabilium, quae in terris mundoque fiunt, causas aperiunt? philosophi; qui herbarum, qui stirpium, qui animantium ortus, progressus, naturas, vires, utilitates prosequuntur? philosophi; qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendae vitae, qui de moderandis affectibus disputant? philosophi. A philosophis omnis doctrina liberalis, a philosophis omnis historia, a philosophis omnis artium varietas sumi potest; ab his oratores, ab his imperatores, ab his rerum publicarum rectores extiterunt, nec quisquam umquam in dicendo, aut in rebus gestis excelluit,*) qui non prius in philosophorum officina limatus ac politus fuisset.***) Sed longior, quam par erat, fui.

Si ea, quae proxima parte exposui, comparavero cum iis, quibus veteres Romani ante eum instituti erant, non infitiabimur neminem de iis melius meritum esse in moribus excolendis et perpoliendis, ut jure dici posset Ciceronem eos condonavisse doctrina et oratione; quam gloriam quidem non ejus supplicationi, sed triumphis multorum esse anteponendam, quum plus certe afferret ei populo dignitatis, quisquis esset ille, qui non illustrasset modo, sed etiam genuisset in ea urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnassent, e quibus multi essent triumphi. Plenus cogitationis patriae et pristinarum virtutum et facinorum Romanorum praestantiam virtutis, pestem vitii ante oculos posuit, ut is, qui legit, non solum edoctus, sed etiam melior factus de eo discederet, quum scripta ejus divitias doctrinarum philosophiae offerrent, animum acuerent, vim cogitandi excitarent, eademque libertatem cogitandi augerent et repugnarent angustae philosophiae scholasticae, quae dicitur. Fieri autem non poterat, etsi ei in animo erat se omni invidia liberare, quin, quum in medio ponebat sententias tam varias tamquam inter se dissidentes philosophorum, inveniret et benevolos objurgatores et invidos vituperatores, quorum illos placabat et docebat, hos confutabat et repellebat. Sed multifariam accidit, ut inimici eum insectarentur, cum veteres Romanorum mores animique alieni essent a doctrina illa a Graecis petita et humanitate.

Quaeritur hoc loco, id, quod tertium proposueram, cur duri agrestesque Romani ea studia rejecerint atque aspernati sint. Urbis Romae, ut inde exordiar, quam a principio reges habuerunt, libertate et consulatu a L. Bruto institutis, quum res essent modicae, aequalitas facile habebatur. Sed ubi labore atque justitia res crevit, ubi subactus est orbis, aemulae urbes regesque excisi sunt, vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiae cupiditas cum imperii magnitudine adolevit atque erupit, quum antea domi militiaeque boni mores colerentur, ut Cicero non dubitaret eos, inter quos gloriae maximum certamen erat, usurpare viros fortissimos, florem Italiae ac rei publicae robur. Nam id jure licet affirmare Romuli illam prolem, assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitam, tam firmissimis praevaluisse corporibus ac militiam belli, cum res postularet, facile sustinuisse, duratam pacis laboribus. Quam quum vitam olim colerent Latini, imitati Romulum et fratrem,

„Rerum facta est pulcherrima Roma“,***)) quae initio fuerat pastorum convenarumque plebs, transfuga e suis populis, sub tutela inviolati templi aut libertatem, aut certe impunitatem adeptam. Nam ne dissiparentur, res nondum adultas fovit tranquilla moderatio imperii eoque nutriendo perduxit, ut bonam frugem libertatis maturis jam viribus ferre posset, quum ipsi victores omnium circa populorum essent. Pari cura animoque pacis incohota sunt opera, ac quanta mole bella gerebat, ut non quietior populus domi, quam mi-

*) Haec forma tantum apud Gellium inter veteres scriptores legitur scripta et evitanda est; pro ea dicendum: „florui, vigui, eminui.“ cf. Krebs in *Antibarbaro* sub vocabulo: „excellere.“

**) Oratio IV de philosophiae et eloquentiae conjunctione.

***)) Vergil. Georg. lib. II, 534.

litiae esset, ut temperata et belli et pacis artibus civitas esset. Tales igitur Romani nihil antiquius habebant, quam ut domi militiaeque intenti festinarent, pararent alius alium hortari, hostibus obviam ire, ut patriam penatesque armis tegerent. Neque eas virtutes colere satis habebant, cum jurgia, discordias simultatesque cum hostibus exercerent, ut jure dici posset audacia in bello, ubi pax evenisset, aequitate seque remque publicam curasse. Jactabundus igitur M. Porcius Cato exclamabat, ubi morum Romanorum mentionem faciebat: „Nolite existumare majores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse. — Alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt, domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius.“*) Itaque factum est, ut, seu vicerunt, seu victi sunt, instaurarent cum victoribus certamen. Nam vere praesagivit eam naturam, cum eum Vergilius canentem induxit:

„Bellum importunum, cives, cum gente Deorum

Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant

Proelia, nec victi possunt absistere ferro.“***)

Liceat mihi hoc loco commemorare, quid majores nostri de iis senserint ac cogitaverint. „Quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant (Germani), qui, perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus littora, eadem virtute, pari ferocia et veluti aucti numero irrupissent.“***) Nemo autem infitiri potest eas, quas nominavi, artes vel imprimis causam habuisse in prisca Romanorum eruditione, quam initio simplicissimam fuisse ex ipso vetere victu cultuque et universo statu civitatis satis superque cognosci potest. Constat enim inter omnes per ea temporis spatia eos imprimis in eo elaboravisse, ut sibi agris colendis res ad vitam sustentandam necessarias acquirerent et bellis gerendis fines regni defenderent ac propagarent. Nam quum paupertas fundamentum et causa imperii Romani, et privatus illis census brevis esset, ea ratio ac magnitudo animorum in eorum majoribus fuit, ut, quum in privatis rebus suisque sumtibus, minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Nam quaerebatur in re domestica laus continentiae, in publica dignitas. Praeterea vita rustica et suavissima et honestissima Romanis visa est; nam „omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.“***) Ut ceteris in rebus, ita in artibus, quae pertinebant ad educationem et institutionem civilem, a parvis initiis proficiscebantur. Quae disciplina majorum fuerit in liberis educandis, ea haud scio, an optime cognoscatur, Tacito ipso duce. Parvi igitur ingenui, quum nec scholae essent, neque omnibus praesto esset, qui praeceptorem alerent, aut privatis ludimagistris mercedem doctrinae solverent, gremio et sinu ejus magistrae educabantur, quam iis natura ipsa largita erat, matris, cujus dignitas, vel pauperioris eo tempore summa erat. Sic maxime omnibus in ore erat Cornelia, Gracchorum mater, et clementia ac gratia morum et magnitudine animi et sublimi ingenio insignis. Praeter eam laudibus efferebant Laeliam, C. Laelii majorem natu filiam, Corneliam, uxorem Pompeji, Rheam Sertorii, Aureliam Caesaris, multas et alias, quas hoc loco recensere longum est, quas praefuisse educationi ac produxisse principes liberos accepimus. Coram iis matronis probatis spectatisque moribus non licuit dicere, quod ignominiosum fuit dictu, neque agere, quod inhonestum fuit factu. Quae tantum valebant ad igniculos animi in tenera aetate excitandos, semen virtutis sancte eliciendum, ad mores severos, sinceros integros-

*) Sallust. Cat. LII, 19—21.

**) Aeneis XI. 305—307.

***) Tacit. Annal. II, 25.

****) Pro Sext. Rosc. Am. XXVII, 75.

que confirmandos, ipsam linguam recte conformandam, ut earum educatione tota alumnorum natura dirigeretur et constitueretur. Quodsi matronas Romanas cum Graecis comparaverimus, reperiemus illarum rationes multo honestiores esse his, quippe quae jam ab antiquissimis temporibus plerumque solae, praeceptore non adhibito, munus liberos educandi obirent, ludis et negotiis materna caritate et cautione praesent, efficerent, ut toto statim pectore artes honestas imbibere et, sive quis operam dabat eloquentiae studio, sive juris scientiae, sive rei militari, id totum animo recipere studerent. Artes, quae tum temporis celebratissimae erant et omni tempore gravissimae sunt, quae ad cultum venerationemque Deorum, ad recte vivendi modum ac rationem, ad sollertem procuracionem negotiorum vitae, ad officia erga parentes, propinquos, cives, magistratus patriamque pertinebant, eae maxime intra domesticos parietes parentum, qui disciplina vitae conformati erant, ediscebantur. Ac prima et capitalis pars eruditionis spectabat ad venerationem Deorum. Quid? quod Livius in Praefatione scripsit nullam umquam rem publicam Romana nec majorem, nec sanctiorem, nec bonis exemplis ditioem, quum multifariam conspectae figurae Deorum quemque non aut hebetem, aut impium Deos praesentes esse confiteri coegissent. Magni momenti ea de Diis opinio ad liberos educandos fuit. Quemadmodum enim fundamenta universae civitatis potissimum sita erant in religione et sacris, ita disciplina singularum gentium familiarumque imprimis privatis sacris conservabantur. Quum animos puerorum ea pietate implerent eosque docerent a Diis omnia regi, pios ab iis multis fortunis augeri, odio dignos haberi impios multisque malis onerari, ea opinio teneris mentibus injecta, exemplis parentum Deos pie colentium corroborata, vix dici potest, quam altas radices egerit, quam etiam propagata sit, quantam vim exercuerit in mentis animique conformatione. Nimirum igitur, qui ea superstitione exarmati erant, juvenes omne infortunium alacri firmoque animo suscipere poterant. Constat inter omnes pietate et religione atque ea una sapientia, qua Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspicerent, eos omnes gentes superavisse et, cum liberos ea docerent, rationibus et commodis ipsius civitatis inserviisse. Tota ea institutione arctissime cum educatione conjuncta, magis efficiebatur, ut animi sensu pietatis imbuerentur, mores integri conservarentur, vultus dirigeretur, quam ut mens quadam doctrina exornaretur. Omnibus iis rebus — neque eae multae erant, — parentes liberos magis imbuebant, quam instituebant. Nam Romani, quae erant gravitate et industria, eam pietatem in puerorum animis non ad otiosam rationem sentiendi traduci, sed ad agendum instrui volebant, ut matura aetate eam factis et virtute comprobarent. Nec vero satis habebant eas tradere artes, sed viros fortes et magnanimos eosdem apertos, simplices, ingenuos, bonos veritatis amicos esse optabant, non optabant versutos, obscuros, astutos, fallaces, malitiosos, callidos, veteratores, vafros. Deinde, toga virili sumta, pueri magis a patre custodiebantur et insignes modestia ac pietate erga parentes, se ad claros et sapientes viros, bene consulentes rei publicae contulerunt, quibuscum si frequentes erant, opinionem afferebant populo eorum fere se similes, quos sibi ipsi delegissent ad imitandum. Artes, quae imprimis colebantur, agricultura, arma, opera forensis, studium litterarum, jus civile, eloquentia, philosophia, non neglectis consuetudine et munere parentum. Nec vero parvi aestimabant artes, quas viribus corporis persequabantur, quum corpora corroborabant laboribus ferendis et negotiis exequendis. Ac summam virtutem fuisse adolescentium virtutem bellicam et domesticam, cujus partes essent perperessio operarum ac dolorum et moderantia. Respiciens igitur virtutes priscas, Quintilianus: „An fortitudinem, justitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis melius alii docebant, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mucii aliique innumerabiles? Quantum enim Graeci praeceptis valent, tantum Ro-

mani, quod est majus, exemplis.“*) Praeterea imprimis id agebant patres, ut majorum exempla secuti, voluptatibus libidinibusque abstinerent, quibus corpora duritia et robore privarentur. Quodsi omnes eorum virtutes recensere nobis in animo est, haec fere locum habuerunt: Fides, candor, animi magnitudo, constantia, amor in patriam, frugalitas, pietas, concordia erga nationes externas, fortitudo, justitia, clementia. Haec fuit causa, cur Sallustius de moribus Romanorum diceret: „Prudentissimus quisque maxime negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optimus quisque facere, quam dicere — malebat.“**) Jam vero virtuti imperatorum Romanorum quae potest oratio par inveniri? Quid? ii nonne plerumque exornati erant iis imperatoriis artibus, quae vulgo existimabantur, labore in negotiis, fortitudine in periculis, industria in agendo, celeritate in conficiendo, consilio in providendo. Nam non solum bellandi virtus in imperatoribus quaerebatur, sed multae artes eximiae ejus virtutis administratae comitesque erant. Praecipue putabant exercitum eum imperatorem continere non posse, qui se ipse non contineret, nec severum esse in judicando, qui alios in se severos esse judices nollet. Quo factum est, ne, in ultimas terras palati, retardarentur iis rebus, quibus ceteri retineri solebant, ne devocarentur avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam, ne libidine ad voluptatem, ne amoenitate ad delectationem, ne nobilitate urbis ad cognitionem, ne denique labore ipso ad quietem. Haud semel licuit iis gloriari imperatores non ex ea urbe missos, sed de caelo quasi delapsos aspici hostes tandem incipere credere, quod exteris nationibus incredibile ac falso memoriae proditum videbatur fuisse Romanos mira quadam quondam continentia, ut illorum majores, cum ea temperantia magistratus haberent, servire populo Romano, quam imperare alii mallent, ut splendor imperii Romani illis gentibus lucem afferre viderentur. Itaque iis non solum praedicare licebat, quantas res domi militiaeque, terra marique gessissent, sed etiam voluntatibus eorum cives adsensissent, socii obtemperassent, hostes oboediissent, venti tempestatesque quasi secundassent. Etenim tales fuerunt viri, ut nulla res tanta esset ac tam difficilis, quam illi non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possent, ut semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodarent. Hoc igitur cognito, dicendum est eruditionem, e qua proficiscerentur eae artes, fuisse duram et illiberalem, aliquam partem angustam, quod modo necessitati et usui inserviret, et ejus vim fuisse maximam, quum parentes pueros virtute prius assuescerent, quam instituerent. Quod si verum erat, sequitur, ut exercitationem et consuetudinem pluris aestimarent, quam doctrinam, ut non satis haberent praecepta tradere, sed multo magis id spectarent, ut pueros necessariis facultatibus res gerendi exornarent. Ea igitur, ut paucis defungar, fuit indoles Romana germane non tam Romani interesse, quid sciret, quam quali animo esset affectus, et quantum viribus et animi et corporis efficere posset. Quocirca assentior ea in re Sallustio dicenti: „Sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.“***) Beatissimi ii habebantur, quibus una e duabus artibus contigerat, quae valebant homines in amplissimo dignitatis gradu collocare, una imperatoris, altera oratoris boni. Eruditio, quae a talibus principiis profecta erat, non intermittebatur, aut omittebatur, sed per totam vitam continuabatur. Non enim solum parentes, propinqui, praeceptores erudiebant, sed etiam erudiebat res publica. Nam tota res publica erat schola eruditionis, ut tota eruditio unorum et publica et privata nominari posset, ei voci alia eoque latius patenti notione supposita. Itaque juvenes, quum jam in civium numero essent, in campo Martio corpora usu armorum, currendo, luctando, natando in propinquo Tiberi exercebant, ut, occasione oblata

*) XII, 2, 30.
 **) Cat. VIII, Ext.
 ***) Ibid.

belli, aliquo majore natu custode, aut, ductu auspiciisque imperatoris ipsius, stipendia facerent. Talia igitur cum essent sollerter excogitata instituta, consilium jam viro et civi Romano digne agendi excitabatur et in mente inhaerescerebat, cujus radices numquam in animo oblitterabantur. Quid? virtutem quantam in iis fuisse putamus, quibus nullus labor insolitus, non locus ullus asper, aut arduus esset, non armatus hostis formidolosus, quum virtus omnia domuisset. Quocirca non mirum, quod eos Horatius non cum summis viris comparavit, sed, paene dixi, simillimos Diis iudicavit:

„Res gerere et captos ostendere civibus hostes

Attingit solium Jovis et caelestia tentat,“*)

ut existimaretur ille populus dominus regum, victor atque imperator omnium gentium esse, cujus terminus, si virtus exercituum et nominis Romani pateretur, inventus esset in ipsa Britannia. Hinc admirabilis illa sententia, qua mortem pro patria oppetitam nobilitabant et commendabant, qualis apud Ciceronem: „O fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita.“**) Non inepte igitur dicendum est, quaecunque Romae et docerentur et agerentur, communem usum spectasse, omnia alia spreta esse. Sed quo tempore opes Romanorum nimis auctae sunt, simul repente fortuna saevire ac miscere omnia cepit, ut divitiarum cupiditas infandum in modum cresceret, quae quasi materies omnium malorum fuit. Recte autem Cicero effecit in urbe luxuriam creari, e luxuria avaritia existeret, necesse esse, ex avaritia erumperet audacia; inde omnia scelera ac maleficia nasci; quae urbanitas opposita rusticitati fuit. Nonne igitur, ea rerum conditione, M. Porcio Catoni erat, cur exclamaret: „Saepe me querentem de feminarum, saepe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratum sumtibus audistis, diversisque duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare; quae pestes omnia magna imperia everterunt. Haec ego, quo melior laetiorque in dies fortuna rei publicae est, imperiumque crescit, — et jam in Graeciam et Asiam transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, et regias etiam attrahimus gazas — eo plus horreo, ne illae nos magis ceperint, quam nos illas.“***) Neque ea opinio eum fefellit. Namque omnibus maribus terrisque patentibus, fides, probitas ceteraque artes bonae subversae; pro iis superbia, crudelitas, Deos neglegere in promptu erat. Causas ejus condicionis miserae explicavit paucis Florus, cum dicebat: „Quae res alia civiles furores peperit, quam nimiae felicitates? Syria prius nos victa corrumpit, mox Asiatica Pergameni regni hereditas. Illae opes atque divitiae affligere saeculi mores mersamque vitiis suis quasi sentina rem publicam pessumdedere.“****) Adde, quod exercitus, quem Sulla in Asia habuerat, quo sibi fidum faceret, ibi primum insuevit amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Victores imperatores, tantum aberat, ut victoriae laetitiae temperarent, ut, capta urbe, ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundabant incolae, Romam deveherent. Livius, ubi de Syracusis captis mentionem fecit, prudenter addidit: „Hostium quidem illa spolia et parta belli jure: ceterum inde primum initium mirandi artium Graecarum opera licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est.“*****) Hic ornatus, haec opera atque artificia, quibus homines Graeci nimio opere delectabantur, Romanis antea levia et contemnenda visa erant. Jure igitur dixit Cicero majores suos facile passos esse haec apud illos quam plurima esse: apud socios, ut imperio suo quam ornatissimi florentissi-

*) Epist. I, 17, 33—34.

**) Philipp. XIV, 12, 31.

***) Livius XXXIV, 4.

****) I, 47, 7.

*****) XXV, 40.

mique essent; apud eos autem, quos vectigales, aut stipendiarios fecissent, tamen haec reliquisse, ut illi, quibus ea jucunda essent, quae sibi levia viderentur, haec haberent oblectamenta et solatia virtutis. Quid? quod tanti amatores operum extiterunt, ut ad ea contemplanda itinera suscepissent in remotas urbes, quum nulla alia visendi causa esset. Sed ei luxui, cum domi per maiorem partem anni Romani degissent,tribuendum est, quod sensim deserebatur antiqua illa et strenua agricultura, semperque desertiorque fiebat Italia. Quin etiam villas et domos, in urbium modum exaedificatas adamabant, templa Deorum, quae majores decorabant pietate, ornare neglegebant, ut aedes sacrae vetustate collaberentur, aut incendio absumerentur. Summa autem libidine imbuti erant stupri ganeae ceterique cultus, quibus artibus mores foede dehonestabantur et degenerabant, quum iis uterque sexus obnoxius esset. Nec vero obliviscenda sunt frequentissima illis temporibus divortia ac repudia et matrimonia omni modo violata. Atque ita fieri haud poterat, quin malum istud, per plures domos dispersitum, universam tandem civitatem invaderet moresque plane subverteret. Jam vero vix dici potest, quam diversa ac contraria institutione liberi eruditi, moribus immutatis, sint, quam auctor dialogi de oratoribus ita descripsit: „Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria non inopia hominum, sed desidia juventutis et neglegentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala, primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provinciam manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de urbe et de his propriis ac vernaculis vitiis loquor, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur. Nam natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adjungitur unus, aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatur.“*) Statim ab initio Tacitus docuit servorum fabulis et erroribus teneri ac imbui rudes animos: nec quemquam in tota domo pensi habere, quid coram infante domino aut diceret, aut faceret, quum parentes ipsi nec probitati, nec modestiae parvulos assuefacerent, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudicitia irreperet et sui alienique contemptus. Imprimisque eorum propria ex urbis vitiis histrionalem favorem et gladiatorum equorumque studia; bonis artibus nihil loci relictum esse, ut difficile esset ad inveniendum, qui domi quidquam aliud loqueretur. Praeceptores dicuntur colligere discipulos non severitate disciplinae, neque ingenii experimento, sed ambitione salutantium et illecebris educationis. Transitis primis discentium elementis, in quibus parum elaboraretur, neque in auctoribus cognoscendis, neque evolventa antiquitate, neque in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operae consumtum esse. Sed expeti, quos rhetores vocarent. Ac frustra quidem, C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala consulibus, senatus consultum de philosophis et de rhetoribus factum est: „M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt, uti M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, uti ei e re publica fideque sua videretur, ut Romae ne essent.“**) Eademque ratione Cato Censorius quam primum legatos, ab Atheniensibus ad senatum missos,***) censuit dimittendos, quoniam, illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset. Nec vero id satis habuit dixisse, quum semper alioquin universos ex Italia censeret pellendos esse Graecos. Multis enim persuasum erat Romanos, qui, disciplina majorum neglecta, amplexi essent adventiciam sapientiam, saluti suae male consulere. Atque haud scio an, verum opinati sint. Etenim ubi cum philosophia ceterisque

*) XXVIII, XXIX.

**) Aul. Gellius Noct. Attl. XV, 16.

***) cf. pag. XI. supra et infra.

artibus Graecorum simul alienos mores et vitia receperunt, a vetere virtute animoque majorum descierunt et, aliena persona suscepta, ipsi sibi impedimento erant, quominus suum ingenium modo suo excolerent et eam praestantiam animi assequerentur mentisque, quam secundum personam a natura sibi tributam, nanscisci poterant. Etenim cum mores Graecorum sibi induebant, suos amiserunt. Non injuste igitur Cato, studiosissimus ille patriorum institutorum, semper, et quidem jure, veteri morum puritati et severitati virtutis timuisse videtur, quae rem publicam ad summas opes summamque gloriam sustulerat. Itaque quamvis uberes fructus litterarum Cicero ostenderet et, si ex iis studiis delectatio sola peteretur, eam animi remissionem humanissimam et liberalissimam judicaret, tamen, quum multorum bonis artibus aetatem puerilem informari, ut primum e pueris excessissent, praetextatos multorum praeceptis multisque litteris edoceri, viros, ubi animus e forensi strepitu reficeretur, atque aures comitio defessae conquiescerent, ac negotia confecta essent, mentes doctrina excolere juberet, quod animi tantam contentionem ferre non possent, nisi ii doctrina relaxarentur, non dubium erat, quin a multis Romanis reprehenderetur, aut multi succenserent. Quid? philosophus nonne maxima cum severitate efflagitavit, ut, quantum temporis ceteri sibi ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis concessissent, quantum alii tribuissent tempestivis conviviis, quantum denique alveolo, quantum pilae, tantum sibi, ratione vitae prorsus immutata, ipsi ad studia philosophiae recolenda sumerent? Praeterea suadebat nihil in vita magno opere expetendum, nisi laudem et honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda; cujus judicii exemplorum pleni essent omnes libri, plenae sapientium voces, plena vetustas; quae jacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accessisset. Nam cum conspexissent tam multas imagines non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas a scriptoribus et Graecis et Latinis, animum et mentem ipsa cogitatione hominum excellentium conformari. Tantum autem aberat, ut Cicero, quamvis confiteretur se omni genere monumentorum id perfecisse, ut suae vigiliae suaeque litterae et juventuti utilitatis et nomini Romano laudis aliquid afferent, omnibus in ore esset, ut multis pudori esset ejus doctrina, quod nihil ex ea re neque ad communem fructum, neque in aspectum lucemque proferrent. Qui, quum eum non puderet se totum litteris abdidisse et studiis esse deditum, qui ita tot annos viveret, ut a nullius umquam eum tempore, aut commodo otium ejus abstraxisset, aut voluptas avocavisset, aut denique somnus retardavisset, ea fortuna utebatur, ut a nonnullis Romanis studia philosophiae reicerentur ac repudiarentur.

Reliquum est, ut explicem, quidnam Romani, qua erant superbia et insolentia imbuti, tempore procedente, mente animoque agitaverint. Urbs Roma, ut inde exordium capiam, ab initio, ubi condita est, nihil aliud, nisi bellum cum finitimis civitatibus moliebatur, quum conditio ejus similior esset audacis hominis sine certo consilio et manu prompti ducis cujusdam, quam sapientis legumlatoris et prudentis principis. Quid? quod apud Livium legimus Janum, indicem a Numa rege pacis bellique factum, apertum, ut in armis esse civitatem, clausum, ut pacatos circa omnes populos significaret, bis deinde post Numae regnum clausum fuisse. Adeo putandi sunt Romani vires suas intendisse, ut ubique una ac continua totius generis humani aut pax esset, aut defatigatio. Nam ea fata bellicosis Quiritibus data videbantur, ut, quicumque mundo terminus obstitit, hunc tangerent armis, visere gestientes, qua parte debaccharentur ignes, qua nebulae pluviae rores. Quibus bellis facile intellegi potest eum tot in laboribus periculisque jactatum esse, ut ad constituendum ejus imperium contendisse Virtus videretur, ratum bellum esse omnium rerum parentem. Claris verbis Vergilius studium Romanorum indicavit, cum canebat:

„Tu regere imperio populos, Romane, memento;
 Hae tibi erant artes; pacisque imponere morem
 Parcere subjectis et debellare superbos.“*)

Notum est eos usque ad memoriam Sallustii sic habuisse alia omnia virtuti suae prona fuisse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certavisse, cum Cimbris ita bellum gestum esse, uter esset, non uter imperaret, ut cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho denique de imperio dimicaretur. Itaque hoc vere licet dicere eos ita late per orbem terrarum arma circumtulisse, ut, qui res eorum legerent, non unius populi, sed generis humani facta condiscerent. Quin etiam eodem vocabulo honestatem et fortitudinem appellare non dubitabant, quum nollent temere in acie versari et manu cum hoste configere, quod immane quiddam et beluarum simile esset, sed vellent decertare manu, cum tempus et necessitas postulabant, et mortem servituti turpitudinique antepone-re. Licet Cicero Romanos doceret expetendam magis esse decernendi rationem, quam decertandi fortitudinem, et domesticas fortitudines non esse inferiores militaribus, tamen Romani foro castra, otio militiam, umbrae solem praetulerunt et periculosa et callida consilia, quam quieta et cogitata et splendidiora et majora habebant. Praeterea inventi multi sunt, qui non modo pecuniam, sed etiam vitam profundere pro patria parati essent, iisque gloriae jacturam ne minimam quidem facere vellent. Nam quae animo magno fortiter et excellenter gesta sunt, ea nescio, quo modo quasi pleniori ore laudabantur. Hinc Cocles, hinc Decii, hinc Gnaeus et Publius Scipiones, hinc Marcellus, innumerabiles alii, maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine praeter ceteros eminuit. Declarabatur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videbant ornatum fere militari. Quae fuit causa, quam ob rem, etsi, toto tantisque injuriis bene meritum virorum illatis, vix credibile erat quemquam reperiri, qui pro re publica labores et discrimina subire voluisset, optimus quisque et honestissimus mente et animo patriam amplecteretur. Ac tum multi Romani eandem viam ingressi sunt, ut, si nomina eorum omnium recensere vellemus, qui rem publicam capesserent, res gestas eorum a primo usque ad ultimum persequi deberemus. Nam prima ejus sub regibus aetate, quae fuit fere ducentorum quinquaginta annorum, cum finitimis luctabatur; insequenti spatio, quod item complectebatur eundem numerum annorum, qui pleni erant magnorum virorum et bellis vexatissimi, Italiam sui juris fecit; ac duobus insequentibus saeculis usque ad regnum Caesaris Augusti ei contigit, ut pax orbis terrarum tandem restitueretur. Quae bella nec geri poterant, nec bene confici, nisi innumeris spectatae virtutis et constantiae viris opitulantibus. Quum igitur semper fere bella gererentur, cives iterum atque iterum admonebantur, ut, virtute defunctos intuiti, sibi simili ratione veram ac perennem gloriam compararent. Illos esse imitandos viros, qui suis consiliis contentionibusque rem publicam auxissent, defendissent, conservassent. Illud autem praemium propositum nulla alia re nancisci iis licebat, nisi ut patriam diligerent, legibus obtemperarent, praesentes fructus parvi penderent, summa vero ope id agerent, ut posteritatis gloriam in se conferrent; idcirco sperandum esse, quod concupiscerent, perferendum, quod cecidisset; denique ea in causa edocebantur haec: „Multo tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duo Scipiones, duo Africanos, Maximum, Marcellum, Paulum, Catonem, Laelium, innumerabiles alios, quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, — fidenti animo, si ita res feret, gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum inesse cognoscimus.“**) Licet igitur vir fortis ac strenuus mortem pro patria ap-

*) Aeneis VI, 851—853.

**) Cic. Disp. Tusc. I, 46, 110.

petivisset, tamen animi virtutisque gloriam esse sempiternam. Quodsi tota vetere historia rerum gestarum aliam gentem post aliam dominationi Romanae subici, eam extendi a Tigride fluvio usque ad Tajum, a Tamesi usque ad montes Aethiopiae videmus, si nulla civitas culta, vel in remotissimis latebris invenitur, quin a Romanis et leges et principes acceperit, facile explicari poterit, quo modo constantia invicta Romae ea tanta facta perficere potuerit. Omnino autem ii, qui antiquitati favebant, magno opere jam in perdiscendis legibus Romanis, in exercitatione usuque armorum, in perfecta administratione rerum domi militiaeque necessarium tempus et diligentiam collocari diffidebant, si in notitiam suam pervenissent aliae mentes magis sollicitantes disciplinae. Adde, quod sic censebant Romani virum fortem ac strenuum, rebus gerendis occupatum esse tam multis tamque gravibus, ut non vacaret rebus perscrutandis et patefaciendis, quae ab hominum intellegentia sensuque longissime disjunctae essent, et quarum infinita altitudo jam ex ea re appareret, quod ii, qui totam vitam in philosophando consumerent, tamen numquam id conficerent et sententiis secum, quod interdum pigeret, pugnarent. Romani, quum litteras Graecas cognoscerent, plurimarum jam terrarum imperium obtinebant prudentia rerum civilium, arte belli gerendi multo superiores cum omnibus ceteris nationibus, tum Graecis, ut vulgus Romanorum adduci non posset, ut his laudem praestantiamque ullius rei concederet. Sapientia igitur, percepta et litteris et doctoribus Graecis, iis molesta et odiosa erat, qua, quum majores ejus rudes atque ignari fuissent, carere sibi videbantur posse. Postquam litterae et docti homines Graeci Romam advenierunt, ejus civitatis magni viri, litteris, quae quidem in illo populo cultae erant, opera navata, quum coram populo, aut in senatu dicebant, de industria cognitionem philosophiae et litterarum Graecarum dissimulabant, ut sapientia eorum prorsus videretur profecta et docta esse a natura atque ingenio, aut a disciplina, quam a majoribus acceperant. At apud eos eloquentia et juris prudentia floruit cum universi populi honore, tum summorum virorum studiis. Ea scientia, sive ea facultas fuit patefacta via ac munita ad dignitatem et honores; nec minus virtus bellica. Quodsi philosophiam, quae proprie dicebatur, quae tum a doctrina et litteris non disjuncta erat, improbabant, id fecisse putandi sunt non odio cujusvis meditationis et omnis exercitationis mentis, sed quod male existimabant de eo uno genere; atque id non tam contemnendum, quam noxium esse opinati sunt. Qui animus, qui quidem cum indole Romana in rebus gerendis acri et industria plane consentiret, etiam commutatis condicionibus, usque ad posteriora tempora valuit, ut Tacitus de Agricola praedicare posset: „Solitum ipsum narrare se in prima juvenia studium philosophiae acrius, ultra, quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset.“*) Maximeque ante oculos versabatur ac pollebat: „Silent leges inter arma!“ nec solum leges conticuerunt, sed etiam artibus litterisque qui potest esse locus, ubi Mars arma concussit, qui reicit sine misericordia sapienter illud Ennii, poetae comici, dictum: „Omnia prius experiri verbis, quam armis sapientem decet.“**)

Sed quum honos alat artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, eaque jaceant semper, quae apud quosque improbantur, luce clarius est prae virtute bellica philosophiae studio parvas partes fuisse, quum Romani gauderent sanguine aeterno et bella gerere gerendaque liberis tradere. E contrario proximus a Diis immortalibus honor memoriae ducum praestitus est, qui imperium populi Romani e minimo maximam reddiderant, quum opera cujusque manentibus titulis restituebantur, et statuae omnium triumphali effigie in foro dedicabantur,

*) IV.

**) Eunuch. IV, 7, 19.

„Per quos spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus.“*)

Quid? cognomina virorum illustrium, quae pro rebus gestis acceperant, Coclitis, Coriolani, Maximi, Muris, Torquati, Cunctatoris nonne crescenti proli Romanae incitamento erant, ut eandem gloriosam viam inirent, non cornua addebat ignavissimo cuique, quum apud Livium scriptum legeret: „Pace terra marique parta, — Scipio, effusis non urbibus modo ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit triumphoque omnium clarissimo urbem est invectus — Africani cognomen militaris prius an favor, an popularis aura celebraverit, — parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victae a se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde hujus nequaquam victoria pares insignes imaginum titulos claraque nomina familiae reliquerunt?“***) Jam vero quanta emolumenta ex ea arte in omnes redundarent, ratione, qua melior excogitari multa potest, Catilina milites edocuit, cum eos ante pugnam ita adhortatus est: „Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis et, quum proelium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dexteris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; — sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.“***) Praeterea eas tantum artes exercendas colendasque censebant, quae ad res ad victum cultumque necessarias pertinebant. Nam quis est, cui ea in re non in mentem veniat illud Ciceronis: „In summo apud illos (Graecos) geometria fuit; itaque nihil mathematicis illustrius. At nos metiendi ratiocinandiue utilitate hujus artis terminavimus modum.“*****) Nec non, missis sordidis artificiis et quaestibus, ut portitorum, ut feneratorum, transitis illiberabilibus operis mercennariorum, exceptis opificibus omnibus, improbatis, qui ministri fuerunt voluptatum:

„Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius,“*****) quibus addendi sunt unguentarii, saltatores totusque ludus talarium, medicinae operam dabant, in qua major inesset prudentia, aut non mediocris utilitas quaeretur, aut architecturam exercebant Romani praeter senatores, quorum ordini eae parum conveniebant. Haud exigua pars nobilium Romanorum fuit genus ardelionum, qui nulli certo negotio inserviebant, sed in aliena re curiosi erant. Magnopere erat dolendum, quod otium non jam licuit agrum colendo terere, quum id esset factum, procedente tempore, servile officium. Denique quis est, qui nesciat eos majore fuisse superbia, quam qua iis liceret aliquid victorum populorum sui juris facere, quum non minimum habuisse videretur se suaque nimis admirari. Si qui erant illustres viri, qui a Graecis erudiebantur, si Romani, qui prae suae gentis moribus ac disciplina omnia despiciebant, ea re nominis Romani auctoritatem imminui, et sapientiam a majoribus acceptam dehonestari existimabant. Praeterea timebant, ne illa doctrina rationes traderentur ac pervulgarentur, quae aut moribus omnino, aut sacris et civilibus institutis imprimis nocerent atque obsisterent. Ac cum Graeci ipsi eo tempore, quo eas litteras Romam transportabant, non jam rerum publicarum, aut usus ac familiaritatis virtutibus excellerent, scientias doctas propter mores, quorum ii, qui se opifices ac magistros profitebantur, insimulabantur, ipsas moribus noxias esse sunt arbitrati. Quid? timendum nonne erat, ne iis se efferrent, inde, quo aditus iis pateret, adire non liceret? Itaque factum est, ut potius mallent a devictis populis ea accipere, quae sibi noxia esse infitiabantur,

*) Carm. IV, 8, 14—15.

**) lib. XXX. 45.

***) Sallust. Cat. LVIII, 8—11.

*****) Disp. Tusc. I, 2, 5.

*****) Cic. de Off. I, 42, 6.

quae sibi jucundam ac luxuriosam vitam compararent, quae opibus atque auctoritate digna essent illius populi, qui erat dominus regum, victor atque imperator omnium gentium. Sed quum Cicero vellet suae statum civitatis ceteris civitatibus praestare, quod neque ullum ingenium tantum extitit, ut quisquam aliquando fuisset, quem ars nulla fugeret, nec cuncta ingenia, collata in unum, tantum possunt uno tempore prodesse, ut omnia complectantur sine rerum usu ac vetustate, scriptis suis rem publicam, quae, ubi nata est, et creverat et adoleverat, et jam firma et robusta evaserat, immortalis et insuperabili munere philosophiae condonavit, cujus studium ut in multis excitaret, tamquam inutile ei non contigit, ut, qui ipsi essent Graeculi vitiis et libidinibus alienis facti, eum „Graecum“ et, quum arduas intellectuque difficiles, quas quidem nullius momenti ad vitam humanam judicarent, praeceptoris persona indutus, tractaret, „scholasticum“ nuncuparent. — Haec fere habui, quae de eo, quod erat propositum, ostenderem. Haud difficile probabile erat Ciceronem, tales sententias professum, quales a philosophis Graecis petiisset, a populo Romano improbatum iri, quum etiam sine adventicia doctrina se magnum usum rei publicae domi militiaeque nactus esse confiderent. Sin autem ei, qui talia praecepta pronuntiabat, non licuit graves rationes suae doctrinae addere, quibus adversarios convinceret, ac persuadere eorum sapientiam esse dementem, et vitae degendae rationem perversam, tantum aberat, ut, qua erant tenaci consiliorum institutorumque suorum mente, talia praecepta omitterent, ut auctorem summa ope ludibrio haberent, quo facilius ejus auctoritatem et dignitatem imminuerent in perpetuum et merita, si quae essent, in patriam et cives maculis aspergerent. Nos autem, qua esse nos decet reverentia antiquitatis, quae tot tantosque, paene dixi, divinos tulit viros, e quorum mentibus oribusque praeclare innumera dicta in eos redundarunt semperque redundabunt, qui litteris indefessa cura operam dare animum induxerunt, facere non potuimus, quin Ciceronem uno ore collaudaremus, quod, nullis impedimentis undique obviam factis, neque ullis convitiis, licet memoriae scriptis aliorum mandarentur, injectis famae deterritis, summo opere studium institit et usque ad extremum vitae spiritum otiosus in eo permansit. Quid? is nonne etiam nobis iis operibus fontes perennes jugesque patefecit atque aperuit, unde, ut liberet, sumeremus, quo animum et mentem nostram et eorum, qui iis tractandos se permetterent, et informaremus et excoleremus? Numquam igitur satis laudari poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere. Philosophiae, cum id ita se habeat, servias, oportet, ut tibi vera libertas contingat. Nonne Stoici sic descriperunt sapientem: „*Μόνος ὄντος σόφος, μόνος δίκαιος, ἀνδρῆτος, βασιλεύς, ῥήτωρ, πλούσιος, νομοθέτης καὶ τὰλλα, ὅποσα ἐστίν.*“*) Iis autem, qui in id studium incubuerunt, illud Quintiliani: „Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit!“**) in mentem revocare non dubitavi, nec vestigia premere jussi Caleni, qui apud Dionem huncce miserum in modum philosophum irrisit: „*Ὁ Κικέρων, ἢ Κικεράνης, ἢ Κικέρνθς, ἢ Γραίκονλς*; a quo amoveatur, velim, appellatio illa odiosa Romanis, qua vir „vitam inopem, ignavam, aut assentatricem“***) degens a nonnullis aequalibus suis notabatur, et ab avaris et superbis bellorum cauponibus ignominiae loco unus ex eruditis et simplicibus****) existimabatur. Exoritur autem hoc loco sub finem scripti quaestio, qua voce unus eam potestatem et ipse expresserit et ab aliis expressam voluerit, quam ad rem breviter conficiendam, ducé ipso Cicerone, haud multa contentione nobis videtur opus esse, quum

*) Luc. Vit. auct. XX.

**) X, 1, 112.

***)) Videas, velim, „Plutarchi Vitae Parallelae, edidit Reiske“: Notas et Observationes Bartoni ad Ciceronem pag. CMXXXII. („assentatricem“ scripsi pro „assentatoriam“; quod adjectivum non scriptum legitur.)

****)) cf. ibidem pag. DCCLVI. animadversionem Xylandri.

